





17965

N^o 41

~~18~~

D. T. O. M. A.

DISPUTATIO JURIDICA

16231 4

De

USUFRUCTU,

20

Quam

Permissu Amplissima Facultatis Juridica
Lipsensis.

Sub Præsidio

Dn. WILHELMI SCHMUCCII,
J. U. D. Professoris Pandect. publ.

1/2

Publicæ disquisitioni subjicit

FRANCISCUS, FRANCISCI
Jcti & Ordinarii filius, ROMANUS.

*Ad diem 20. Martii, in Auditorio Jcto-
rum, horis solitis.*



L I P S I Æ,
Excudebat Justus Jansonius Danus.

ANNO M. DC. XXIII.

~~18~~

D. E. O. M. A.
DISPUTATIO JURIDICA

HISTORICUM

Quaestio
Historiae Amphitheatralis

DR. WILHELM. M. SCHMIDT

L. U. D. Professor

FRANCISCUS FRANZISCI
Johann. Maria Franzis.

Com. 22. Aprilis in



FRANCO
Bibliop. Joh. Josephus D.

ANNO M. DC. XXIII



THESES PRIMA.



Servitus (a) est jus (b) serviendi in re aliena (c) alteri (d) ad usum concessum. ejusque summa divisio est in Rerum, & Personarum. (e)

(a) Invenitur istius vocabuli in jure nostro duplex potissimum significatio: una, quâ accipitur pro jure servorum, dicta à servando, uti habetur in §. *servi. 3. Inst. d. Jur. person. l. libertas. 4. §. servi. 2. ff. d. stat. hom. l. pupillus est. 239. §. servorum. 1. ff. d. verb. sign.* Altera pro jure servitutum, appellata à serviendo. ut patet ex *t. 1. ff. d. servit.* Et nos hic servitutum intelligimus, non quæ de priore, sed quæ de posteriore nomen accepit, quatenus videlicet res alterius alteri servitia præstat non jure domini, sed jure servitutis.

(b) per *l. quid aliud. 86. ff. d. verb. sign. in fin. pr. Inst. d. reb. corp. & incorp. l. urbanorum. 2. l. hæc autem jura. 6. ff. d. servit. præd. urban. l. 1. §. quadam. 1. ff. d. rer. div. l. 1. ff. d. usufr. l. 1. ff. d. servit. præd. rust.* Vocatur autem servitus jus duplicem ob causam: 1. quia quando alteri à domino in re sua jus constituitur, aliquid in ea faciendi, tunc hoc jus est servitus, id est, servitutum efficit. 2. quia cum hoc jus pariter jus unius augeat, alterius vero minuat, fit, ut respectu ejus, cui aliquid ex re alterius debetur, jus dicatur, respectu illius à cujus re debetur, servitus, ut notat *Duaren, in com. ad tit. d. servit. de definitio-*

A a

ne ser-

ne servitutis Donell. lib. 9. com. c. 21. Vult. ad pr. Inst. d. servit. Vesemb. in parat. ff. d. servit. in pr.

(c) non in propria, servitus namq; in re propria nulla esse potest, juxta vulgatam regulam: res sua nemini servit. l. uti frui. s. in pr. ff. si ususfr. pet. l. in re communi. 26. ff. d. servit. urb. prad. & utimur re nostra jure domini.

(d) sive personæ, sive rei. ut patet tum ex lit. b. & seq. e. hac thesi.

(e) l. 1. ff. d. servit. l. si quis unas. 32. ff. d. ususfr. l. se mihi. 20. §. fin. ff. d. serv. rust. prad. l. Gajus. 12. ff. d. an leg. Ratio est: quia res alterius, vel servit personæ, vel rei, si servitia personæ præstat, personalis appellatur. l. non solum nostrum. 8. §. tale legatum. 3. ff. d. liberat. leg. Sin rei, Realis. Dn. Vult. in suo com. ad Inst. t. d. servit. ad pr. n. 5. Don. d. lib. 9. com. c. 22. Vesemb. in parat. ff. d. ususfr. Duar. ad rubr. tit. ff. d. servit. Nisi apertè conventio ostendat jus personæ, non rei acquisitum esse. l. legata. 14. §. quibus. 1. ff. d. transf. & adim. leg. d. l. Gajus. 12.

THESES II.

Servitus Personalis est jus, quo ei res aliena servit. (a) ejus species sunt: usus, usufructus, (b) habitatio. (c) De solo usufructu, missis speciebus reliquis, in præsentiarum acturi sumus.

(a) l. dominus. 57. in pr. ff. d. ususfr. l. sicut. 3. §. fin. ff. quib. mod. ususfr. am. l. quotiens duobus. 34. ff. d. t. d. ususfr. l. non solum nostrum. 8. §. tale legatum. 3. ff. d. liberat. leg. Dn. Vult. d. loc. d. servit. n. 7.

(b) l. 1.

(b) l. 1. ff. d. servit. l. rectè dicimus. 25. in pr. ff. d. verb. sign.

(c) l. si quis unus. 32. ff. d. usufr.

THESIS. III.

Definitur usufructus (a) jus utendi fruendi (b) rebus alienis, (c) salva rerum substantia.

(a) dictus ab utendo fruendo re aliena, quæ nostra non est, sed perinde ex ea fructum atque commoditatem sentimus, ac si nostra propria esset. Est autem istius vocabuli significatio in jure nostro non una eadem, quia interdum capitur pro usufructu, quem quis habet jure dominii in re propria ut in l. si cum. argentum. 21. §. si fundum. 3. ff. d. except. rei jud. l. 78. ff. d. jur. dot. l. 126. §. 1. ff. d. verb. oblig. interdum pro jure seu potestate alicui tributa re aliena utendi fruendi personæ coherentem. ut in pr. Inst. d. usufr. l. 1. ff. eod. Hinc dividitur usufructus à DD. unus in causalem, quasi qui cum sua causa, hoc est dominio, seu proprietate est conjunctus, quem habet proprius ac verus dominus in re sua. Alius in formalem, sic appellatum, quod ejus forma à proprietate sit separata, usufructu scilicet apud unum, proprietate verò apud alterum existente, & hunc in rebus alienis esse constat ex d. l. 1. ff. d. usufr. & pr. Inst. eod. l. uti frui. 5. in pr. ff. si usufr. pet. Et licet hanc distinctionem multi præclari Icti approbaverunt. ut Hugo Donell. 10. com. 2. Arius Pinell. in l. 1. part. 1. n. 9. & 10. C. d. bon. matern. Job. del-Castella in tract. d. usufr. c. 1. n. 16. & seq. Gomez. 2. var. resol. 15. n. 2. Francis. Hottom. 3. obs. 22. & ad l. 27. §. 8. d. pact.

paet. & ad l. 2. C. d. usufr. Nos tamen ab horum opinione
discedentes statuimus unicum solummodo usumfru-
ctum formalem, consistentem in usu rerum alienarum
& fructu à dominio & proprietate separatum, nullum
verò causalem. Malè namq; diceretur dominum in re
propria usumfructum habere; cum 1. res sua nemini
serviat. *d. l. uti frui. s. in pr. & l. in re communi. 26. ff. d. ser-
vit. urb. Prad.* 2. quia ususfructus est servitus persona-
lis, talis autem servitus nunquam in propriis, sed sem-
per in rebus alienis consistat. *d. l. in re communi. 26. & l.
rectè dicimus. 25. in pr. ff. d. verb. sign. 3.* deniq; quod si causalis
quidam daretur, meritò legislatores inscitiae & ineptiae
accusandi essent, quod definitioni ususfructus inseruis-
sent verba utendi fruendi rebus alienis, cum etiam
ususfructus juxta secus à nobis sentientes constaret in
rebus propriis. Consentunt nobiscum *Duar. ad l. 126. ff.
d. verb. oblig. Heig. in com. ad Inst. h. t. in pr. n. 4. 5. 6. 7. & 8.
Trentl. vol. 1. disp. 16. th. 1. lit. B.* & fructus qui causalis ap-
pellatur, propriè vocari non potest ususfructus, sed
emolumentum & commoditas percipiendi fructus in
re sua. ut notat *Coras. 5. Miscell. 3.* Non obstat. *d. l. si cum
argentum. 21. §. si fundum. 3. ff. d. except. rei jud.* ubi Ictus
Pomponius mentionem facit ususfructus, quem quis
habet jure domini & causae, ex qua ipsi dominium ob-
tingit, quia exinde minimè probari potest, dari hinc
usumfructum causalem, cum ut modò diximus ibi im-
propriè vox ususfructus accipiatur. Hinc rectè dicit
Donell. 10. com. 2. dominum jus utendi fruendi non sim-
pliciter habere, sed cum adjuncto ususfructus quod
Icti hinc plenum dominium, & plenam proprietatem
appellare non verentur. *l. si duobus. 2. in pr. ff. quibus mod.
usufr. am.* item plenum fundum, fundum pleno jure,
d. l. §.

d. l. sita stipulatus. 126. §. 1. In qua sententia est Hotto-
mannus. *pr. Inst. d. usufr.* dum inquit: Et si dominus
usumfructum habet, hunc tamen qui servitus est, non
habet.

(b) *d. l. 1. ff. d. usufr. & d. pr. Inst. eod.* & hoc ver-
bum fruendi, differentiae loco additum est, quasi quod
proprium sit usumfructus non possit pertinere ad usum
specie differentem ab usufructu, quia minus juris est in
usu, quam in usufructu, & sub usufructu & usus conti-
netur, non viceversa sub usu & usufructus: §. *minus. 2.*
Inst. d. usu & hab.

(c) usufructus in re propria, ut *ex th. 1. lit. c.* li-
quet, esse nequit, quia & servitus in re sua nulla est,
usumfructum autem servitutum esse liquidò constat
ex l. 1. ff. d. servit. l. recte dicimus. 25. in pr. ff. d. verb. sign. l. si quis
usus. 32. ff. d. usufr. quamvis usufructuarius re aliena uta-
tur, ac si propria esset. *arg. §. sed si gregis. 38. Inst. d. rer. div.*

THESES. IV.

Dividitur in Verum, & Quasi, (a) qui & im-
proprius appellatur. Verus est, qui consistit in ca-
re, cujus usufructus ita capitur, ut semper firma
atque integra maneat ejus substantia. (b) Quasi,
cujus substantia salva non permanet, sed utendo
fruendo simul consumitur. (c) Ille ex lege est,
hic ex Senatus consulto.

(a) *per §. constituitur. 2. Inst. d. usufr. Vult. lib. 1. Ju-
rispr. Rom. c. 63. n. 22. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 2. Gædd. in
suis disp. part. 1. disp. 15. th. 3. Grassac. disp. d. servit. person. th. 8.*
(b) ut

(b) ut fundi, ædium &c. d. §. constituitur. 2. l. sed de pecunia. 2. l. pen. ff. d. usufr. ear. rer. quæ usu conf. (c) ut vini, olei, frumenti &c. etsi harum rerum naturaliter ususfructus esse non potuit, cum assiduo usu videbantur quodammodo extingui, est enim contra naturam atque definitionem ususfructus, ut utamur fruamur re aliena, salva rerum substantia. *pr. Inst. de usufr. §. l. 1. ff. eod.* Hoc tamen ob solum utilitatis intuitum senatus Romanus suo hac de re senatus consulto temperavit, quo voluit, & harum quoque rerum fictione juris quasi usumfructum constitui posse. d. §. constituitur. 2.

THESES. V.

Constituitur ususfructus, vel 1. à Lege. (a) vel 2. à Judice. (b) vel 3. denique à domino. si à domino conceditur, fit illud vel actu inter vivos, (c) vel testamento seu ultima voluntate. (d).

(a) veluti Patri in bonis filiorumf. adventitiis. §. 1. vers. quod autem. in fin. *Inst. per quas pers. cuique acqui l. cum oportet. §. in pr. vers. si quis itaque C. d. bon. quæ lib.* Sed quæritur, quoniam bonorum adventitiorum filii. lege ususfructus patri acquiratur, num etiam in feudo filio concesso? Nos negativam tanquam veriore putamus, præsertim si militia causa sit filio datum. 1. quia tale feudum annumeratur castrensi peculio. Notum autem est, filiosf. bonorum castrensiu plenos dominos esse. d. l. cum oportet. §. 3. non solum quoad proprietatem; verum etiam quoad usumfructum. hinc rectè scribitur in l. ex nota. 10. ff. d. cast. pec. à Icto Pomponio:

ponio: Patribus ex bonis castrensis filiorumf. nihil
deberi. Unde quoque illis permissum est ea alienare
absque voluntate & consensu parentum. l. filiusf. 2. C.
d. Castr. pec. Hinc & illud Poetae:

— — — — — *Qua sunt parta labore*
Militiae placuit non esse in corpore census.

Introductum enim hoc est in favorem militum, ut in
rebus Castrensis occasione militiae quaeritis filiis. vi-
ce patrumf. fungantur. l. 2. ff. ad Scutum Macad. l. filiusf. 9.
ff. d. his qui sunt sui vel al. jur. 2. quia feuda nihil sunt
aliud quam ususfructus, ut rectissime defendit Vult. in
tract. d. feud. c. 2. §. c. un in fin. lib. 2. feud. t. 23. ususfructus
verò ususfructus constitui nequit. l. 1. ff. d. usufr. leg.
Uern. in c. 1. n. 13. quid feud. dar. poss Roland à Valle cons. 71.
n. 65. vol. 2. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 2. lit. B. Belvis Alvar.
Prepos. in c. un §. si duo. d. duob. frat. d. nov. benef. invest.
Vult. d. loc. d. feud. lib. 1. c. 4. n. 8. Schneiduv. p. 3. num. 98.
Borch. c. 5. n. 48. Vesemb. c. 5. n. 4. Porro conceditur
bonorum liberorum emancipatorum patri non totus,
sed dimidiatus §. hoc quoque 2. Inst per quas pers. cuiq. acq.
d. l. cum oportet. 6. d. §. 3. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 2. lit. c.
Gædd. disp. 15. th. 4. lit. c. inter filiumf. & emancipatum
quoad bona adventitia hoc est discriminis: quia bono-
rum adventitorum filiorumf. totus ususfructus ad pa-
rentem pertinet, quamdiu potestate patri non libe-
rantur; liberati verò dimidiam partem ususfructus bo-
norum adventitorum patri relinquunt, quasi in præ-
mium emancipationis factæ. d. §. 2. Hoc autem acci-
piendum est de illis bonis adventitiis, quæ filius sibi ac-
quisivit ante factam emancipationem, post factam au-
tem, quicquid filius acquirit, id pleno jure ad ipsum so-
lum spectat l. si filiusf. 78 ff. d. verb. oblig. l. fin. ff. d. stip. serv.

B

Jason.

Jason, in l. fin. n. 28. C. d. pact. Et hæc omnia rectè procedunt, quando pater non coactè sed spontè filium emancipat. Acquiritur similiter lege ususfructus matri, secundas nuptias contrahenti in bonis prioris mariti. *l. femina. 3. C. d. secund. nupt.* superstitibus scilicet adhuc ex priore matrimonio liberis. quicquid enim ex bonis mariti quocunq; honesto titulo ad mulieres pervenit, id omne debetur liberis susceptis quoad proprietatem, usufructu duntaxat penes matrem vitæ suæ temporibus permanente. *d. l. femina. 3. & l. hac edictali. 6. §. his illud. 1. C. d. t. d. secund. nupt. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 2. lit. d. Nov. 22. c. 46. §. 2.*

(b) in judiciis divisoriiis, familiæ erciscundæ, communi dividundo, quando iudex uni rem, alteri istius usufructum adjudicat. *l. usufructus. 6. §. constituitur. 1. ff. d. usufr. l. si quis putans. 6. §. officio iudicis. 10. ff. com. div. l. & puto. 16. §. Julianus. 1. ff. fam. ercisc. §. si familia erciscunda. 4. Inst. d. off. jud. Donell. lib. 10. com. c. 6. Treutl. d. loc. th. 2.*

(c) Conventionibus, pactis, seu stipulationibus. *§. 1. Inst. d. usufr. l. omnium. 3. ff. eod.* & non tantum purè, verum etiam sub conditione. de quibus in thesi seq. 7. dicturi sumus. Nec sufficit pactum vel stipulationem factam esse, sed requiritur traditio vel patientia, quæ loco traditionis est. *l. 1. §. fin. ff. d. servit. rust. prad. l. si ego. 11. §. 1. ff. d. Publ. in rem act. Cæpoll. d. servit. urb. prad. c. 13. in fin.* est enim traditio ita de necessitate servitutis, ut non prius perfecta dici possit, nisi traditio accesserit. quia pacta, quæ in continenti adjici solent contractibus, insunt iis qui dicuntur esse bonæ fidei. *l. juris gentium. 7. §. 5. ff. d. pact.*

(d) *d. §. usufructus. 1. Inst. d. usufr. & d. l. omnium. 3. ff. eod.* quando simpliciter usufructuario cujusdam rei usufructus legatur, & proprietas penes heredem existit:

stit: vel viceversa, si ususfructus heredi, & proprietas
legatario remanet. d. §. 1. & l. ususfructus pluribus. 6. ff. d.
usufr. Hoc in casu traditio non requiritur. l. si partem. 19.
§. 1. ff. quemad. serv. am. l. verbis legis. 120. ff. d. verb. sign. quia
legatum ipso jure in ignorantem etiam legatarium
transit. d. l. si partem. 19. d. §. 1. l. Gajus. 86. ff. d. leg. 2. l. à Titio
herede. 64. in fin. ff. d. furt. l. fin. §. sin autem. 8. C. d. Curat. furios.
Intelligenda tamen hæc sunt de dominio, non de pos-
sessione. Nam possessionem legatarius ab herede pete-
re debet. §. legatum. 1. Inst. d. leg. l. 1. §. & continet. 2. ff. quod le-
gator. vel fideic. Sed inquires, quid causæ, quod ignorantem
legatario acquiratur dominium? Cum sit alias regula
juris in contrarium, qua dicitur ignorantem dominium
non acquiri. Cujac. ad l. 16. ff. qui test. fac. poss. R. Anton.
Fab. 8. coniect. 19. hoc scilicet fieri potestate legis, Legis
videlicet 12. tabb. Sic enim expressè Ulp. in fragm. tit. 19.
§. 16. loquitur: Lege nobis acquiritur, veluti caducum,
vel Ereptitium ex Lege Papia poppea, item legatum ex
Lege 12. tabb. qua cavetur, uti quisque legasset suæ rei,
ita jus esto, d. l. verbis. 120. ff. d. verb. sign.

THESIS VI.

Res quarum ususfructus constitui potest,
sunt non tantum mobiles, (a) verum etiam im-
mobiles (b) ac se moventes (c) dummodo ea-
rum natura fructuoni sit accommodata.

(a) §. constituitur. 2. Inst. d. usufr. l. nomismatum. 28. l.
usufructu. 7. l. sed si quid. 15. §. & generaliter 3. l. statua. 41. ff. eod.
Vvesemb. in parat. ibid. n. 9. licet non semper verus, tamen
quasi.

B 2

(b) d.

(b) d. §. constituitur. 2. l. r. ff. uti possid. Quærunthoc loco de thesauro in fundo fructuario reperto, cui nam cedat, an usufructuario, an proprietario? Dividendus sanè est inter dominum soli, & fructuarium, ut ratione inventionis dimidia pars remaneat inventori fructuario, altera dimidia ratione soli, proprietario. *§. thesauros. 39. Inst. d. rer. divis. l. si is qui. 63. in pr. ff. d. acquir. rer. dom. l. qui scit. 25. in pr. ff. d. usur. Giphart. ad d. l. si is qui. 63. n. 11. Hedem. disp. 18. th. 23.*

(c) d. §. constituitur. 2. l. si servi. 21. l. si quis. 25. l. vetus fuit. 68. §. 1. ff. d. usufr. Paul. 3. sent. 6. §. 20.

THESIS VII.

Tam in aliqua parte; (a) quàm in tota bonorum substantia, (b) Purè, & conditionaliter; (c) Ex tempore, & ad certum tempus. (d)

(a) *l. etiam partis. 43. l. ususfructus 5. ff. d. usufr. si tamen partis specialiter mentio facta non sit, dimidia pars bonorum in usumfructum legata intelligitur. d. l. etiam partis. 43. quia partis appellatione dimidia continetur. l. nomen filiarum. 164. §. 1. ff. d. verb. sign. & Gothofr. in not. ad marg. d. l. 43. lit. e. conn. 4. com. 4. in fin.*

(b) modo non excedat testator dodrantis æstimationem, hoc est tertiam partem hereditatis. *d. l. omnium. 29. ff. d. usufr. ubi Costal. l. 34. in fin. ff. eod. Cujac. ad Nov. 18. conn. d. loc. propter beneficium Legis Falcidiae, quod heredi semper debet manere salvum, vel ipsa bona fuerint in universum legata, vel ususfructus eorundem. vid. Nov. 18. s. 3.* Sed quæritur an usufructuarius possit conveniri ad solvendum æs alienum à testatore contra

contractum? Neg. i. quia æs alienum testatoris non
usumfructum, sed totam hereditatem respicit. *l. fin. ff. d.
usufr. leg. l. usufructu. 69. ff. ad Leg. Falc.* 2. quia onera here-
ditaria ab herede sunt solvenda. *l. i. C. si cert. pet. l. pro he-
reditariis. 2. C. d. hered. act. l. pacto. 26. C. d. pact.* 3. quia usufru-
ctuarius non succedit in universum jus & sic nec loco
heredis esse potest. arg. ducto à contrario sensu. *l. in pari.
128. §. 1. ff. d. R. J.* sed est tantum singularis successor, ad
quem nullum onus pertinet hereditarium. *Fachin. lib. 4.
contr. c. 19. Gæd. ad l. bonorum. 49. n. 12. & ad l. venisse. 165. in fin.
ff. d. verb. sign. Cujac. ad luxori. 37. ff. d. usufr. Bronchorst. cent.
1. miscell. ass. 49. Gomez. 2. var. resol. 15. n. 8. Treutl. vol. 1.
disp. 16. th. 3. lit. b.*

(c) *l. sub conditione. 54. l. ususfructus. 4. ff. d. usufr. l.
omnes autem. 3. §. sed etsi quis. 3. l. si ususfructus. 9. §. planè. 2. ff.
usufr. quemad. cav. l. Julianus. 9. §. Marcellus. 4. ff. ad exhib.
l. si sub conditione. 16. ff. quib. mod. usufr. amitt. H. Donell. lib.
10. com. c. 5. et. 16. Treutl. d. loc. lit. 1. Grassac. disp. d. serv. pers. th. 20.*

(d) *l. & puto. 16. §. ususfructus. 2. ff. fam. ercisc. d. l. ususa
fructus. 4. ff. d. usufr. l. ambignitatem. 12. C. eod. l. cum usua
fructus. 13. ff. d. usufr. leg. quando autem extempore est
legatus, tempus ejus non cedit, nisi prius venit. d. l. un.
d. §. item si. 3.*

THESIS. VIII.

Priusquam autem usumfructum constitu-
tum consequatur usufructuarius, cautionem (a)
præstare tenetur fidejussoriam. (b) eamq; remit-
tere potest heres (c) non etiam testator, (d)

B 3

(a) l. 1.

(a) *l. 1. in pr. ff. usufr. quemadm. cav.* cuius duo sunt potissimum membra: 1. se non deteriore facturum esse proprietatem utendo fruendo, sed boni viri arbitrari uti frui velle. 2. finito usufructu, quod inde extabit se restitutum. *d. l. 1. in pr. §. 3.* Cujus cautionis prius membrum statim committitur, cum aliter facit usus, hoc est, quoties usufructuarius deprehenditur re abuti. *d. l. 1. §. habet autem. 6. & Vesemb. ibid. n. 2.* & hæc observanda in usufructu vero. In quasi autem cavere debet, se rem eandem in genere, vel ejus æstimationem redditurum. *l. sed de. 2. l. si tibi. 6. l. si vini. 7. d. usufr. ear. rer. quæ usu cons. l. etsi usufructus. 7. §. 1. ff. usufr. quemadm. cav. & Vesemb. in parat. ff. ibid. n. 2. Gail. 2. obs. 46. n. 2. Treutl. vol. 1. disp. 10. tit. 5.* Sed numquid usufructuarius ante præstitam cautionem fructus perceptos suos faciat, non vulgarem dubitationem habet? Distinctionis temperamento adhibito, sequimur affirmantes, quatenus is bona fide in possessionem venerit, secus est si mala fide eam intraverit. Ratio quia usufructuarius cautionem præstare tenetur ad petitionem proprietarii. si ergo proprietarius cautionem non exigat, & usufructuarium possessionem intrare patiat, merito sibi imputet, quod eam præstari prius, non petierit. sufficit enim quod petenti cautionem moram non fecerit. *l. diversum. 2. §. quod ait prætor. 1. ff. quod legat. l. 1. §. non exigit prætor. ff. ut in poss. leg. l. si quis filium. §. stipulatio. ff. d. collat. bon. Mynsing. cent. 1. obs. 6. Ant. Gabriel. Rom. lib. 5. com. conclus. tit. d. usufr. conclus. 1. n. 10. cum seq. Gail. lib. 2. obs. 46. n. 6. 7. 8. 9.*

(b) non nuda promissione, sed datis fidejussoribus. *Vesemb. in parat. ff. tit. usufr. quemadm. cav. n. 3. l. 1. ff. qui satisd. cog.* non etiam pignoribus, cautiones namque

que seu satisfactiones prætorie pignoribus fieri non
possunt, quia personas desiderant. *per text. expres. l. præ-*
torie. 7. ff. d. prætor. stipul. hæc verò cautio fructuaria est præ-
torie. *l. 1. in pr. ff. usufr. quemadm. cav.* ubi dicitur, si cuius
rei usufructus legatus sit, æquissimum prætori visum
est, de utroq; legatarium cavere. &c. *l. huic stipulationi. 5.*
§. 1. ff. eod. ibi: sed si usus sine fructu legatus erit, adempta
fructus causa, satisfari jubet prætor. *Trentl. vol. 1. disp. 16.*
th. 5. Donell. 10. com. 14. vers. cum locus erit huic cautioni. He-
dem. disp. 15. th. 38. Bronchorst. cent. 1. miscell. ass. 50. Vesemb.
in parat. ff. usufr. quemadm. cav. n. 3. Hodie tamen tam
accuratè inter cautiones, quoad usufructuarium non
distinguitur, sed nullum est dubium, quin ad cautionem
realem pignorum admittatur.

(c) cautio enim solius heredis nomine præstan-
da est, ut cuius unice refert, rem finito usufructu sal-
vam ipsi fore, penes quem est proprietas, *l. 1. §. fin. l. idem*
est. 6. l. si tibi. 8. ff. usufr. quemadm. cav. suo igitur favo-
ri pro se introducto renunciare potest. *l. pen. C. d. pact.*
l. 31. C. d. Episc. & Cler. Ar. Pinell. in l. 1. part. 2. n. 76. C. d. bon.
matern. Sichard. in l. 1. C. d. t. Gail. lib. 2. obs. 145. n. 12. Diff.
Donell. lib. 10. com. jur. civ. cap. 14. Sed numquid idem ju-
ris est heredi in quasi usufructu? Negativam meritò
tuemur, est enim ut infra th. 10. habetur, ejusmodi cau-
tio in quasi usufructu de substantia ejus; Ratio: quod
in corporum per usumfructum absumtorum loco
cautionem cedere senatusconsulto visum est. *rectè Hot.*
tom. ad §. 3. Inst. d. usufr. Petr. Greg. in syntag. lib. 4. c. 3. n. 12.
in fin. communis opinio statuit contrarium, cui admi-
niculatur. d. l. Titio. & l. hoc senatus consultum. 5. §. si pecu-
nia. 1. ff. d. usufr. ear. rer. quæ usu cons.

(d) *l. scire debetis. 7. vers. ut autem, C. ut in poss. leg.*
nom.

nom. cav. Donell. lib. 10. com. jur. civ. c. 14. Gail. 2. obs. 145.
quia is potest remittere, cujus ergo cautio est præstan-
da: sed testatoris causa non apponitur. Ergo nec is,
potest eam remittere. *arg. d. l. pen. C. d. pact. & d. l. 81. C.*
d. Episc. & cler. accedit, quod hæc remissio invitaret fru-
ctuarium ad abutendum re, in qua jus utendi fruendi
sibi concessum habet, quod juri nostro parum conve-
nit, cum alteri per alterum iniqua conditio inferenda
non sit, quod hac ratione certè contingeret, & heres
nimum læderetur. l. non debet. 74. ff. d. R. 3.

THESES. IX.

Sin verò propter inopiam vel aliam diffi-
cultatem fidejussoribus cavere nequeat, in du-
bium vocari potest, utrum ad juratoriam admit-
tendus?

Circa hanc quaestionem distinguimus inter homi-
nem fide dignum, & de fide suspectum: ut si sit fide
dignus ad juramentum meritò admittatur, quando vi-
delicet nullum aliud cautionis remedium ipsi est reli-
quum. *argto. auth. generaliter. C. d. Episc. & Cler. Nov. 112.*
c. 2. auth. cui relictum. C. d. interdict. viduit. Gail. 2. obs. 47.
n. 7. Ves. in parat. ff. usufr. quemad. cav. in fin. Treutl. vol. 1.
disp. 16. th. 1. Sichard. in l. usufructu. 4. n. 6. C. d. usufr. & li-
cet hoc in casu jure expresso destituamur, æquitas ta-
men hoc suadet, ut in simili ait Jurisconsultus. in l. in
summa. 2. §. item varus 5. in fin. ff. aq. & aq. pluv. are. Præser-
tim cum in omnibus maximè in jure æquitas sit spe-
ctanda. l. in omnibus. 90. ff. d. R. 3. & hæc ex rerum &
personarum circumstantiis per diligentem inquisitio-
nem

137
nem sunt definienda. secundum *Donell. 10. com. 14.* si ve-
ro sit suspectus, cautio juratoria minimè sufficit, sed bo-
na in usumfructum data penes quendam virum, hone-
stum, divitem, ac probum, sequestrantur, qui eorum
fructus præstat usufructuario, vel loco eorum certam
aliquam quotannis pecuniæ summam. per *l. postquam s.*
§. Imperator. 1. ff. ut. legat. seu fideic. serv. caus. cav. Guid. Pap.
decis. 98. & 250. Gail. d. loc. n. 10. Gomez. var. resol. tom. 2. c.
11. n. 3. Schneidvv. in pr. Inst. d. usufr. n. 10. Treutl. d. loc. &
hac ratione utriq; tam proprietario, quam usufructua-
rio simul prospicitur, nulliq; jus suum diminuitur.
Hanc quoque sententiam tanquam æquissimam in Ca-
mera Imperiali approbatam, testatur *Myns. cent. 6. obs. 48.*
n. 8. nec ab ea in judicando recedendum ibidem monet.

THESIS. X.

An Cautio usufructuaria sit de substantia
quasi usufructus? A.

Quia earum rerum quæ ipso usu consumuntur,
quasi usufructus aliter constitui non potest, nisi cau-
tionis adhibito remedio. Succedit enim cautio in lo-
cum proprietatis §. *constituitur. 2. Inst. d. usufr. l. si de pecu-*
nia. 2. l. si veni. 7. ff. d. usufr. ear. rer. qua usu cons. Treutl. vol. 1.
disp. 10. th. 5. in fin. Vult. ad d. §. 2. n. 6. Donell. 10. com. 4. n. 40. & 50.

THESIS. XI.

Donans tamen omnia bona sibiq; usum-
fructum reservans, (a) item Parens, (b) & fiscus,
(c) ad hanc cautionem minimè obligantur.

C

(a) ab

(a) ab eo namque qui alteri universa sua bona donavit, retento usufructu, ad petitionem donatarii cautio exigenda non est. Cum iniquissimum sit rigide procedere cum eo, qui ex sua liberalitate convenitur. *l. Divus pius. 28. ff. d. R. J. & ibi Decius. n. 2. l. inter eos. 19. §. 1. l. cum ex causa. 30. l. & exheredatum. 46. ff. d. re iud. l. si vir. 3. ff. pro donato. l. si extraneus. 33. ff. d. jur. dot. l. qui ex donatione. 12. ff. d. donat. §. sed si quis. 28. Inst. d. act.* Ne videlicet liberalitatis suae poenam quasi patiatur. *l. ad res donatas. 62. ff. d. ad l. edict. Bart. & Socin. in l. omnes. in not. 3. ff. d. except.* Licet autem specialiter decisum legatur, hoc in casu sufficere, si usufructuarius tantummodo promittat cum hypotheca omnium bonorum. per text. in *l. filio. 7. ff. ut legat. nom. cav. Ari. Pinell. in l. 1. part. 2. n. 80. C. d. bon. matern. Gail. 2. obs. 135. in fin. Myns. cent. 5. obs. 36. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 6. lit. a.* Nos tamen ne quidem hanc ab eo exigendam esse defendemus, cum ratio modo posita non distinguat. & praeterea *d. l. filio. 7.* non de cautione usufructuaria, sed de ea, quam heres fideicommissario praestare debet, loquatur. Ergo argumentum est ductum à separatis.

(b) habens usumfructum in bonis liberorum, liberatus est ab isthoc cautionis remedio. *l. cum oportet. §. non autem. 2. & l. fin. §. fin. autem. C. d. bon. qua lib. Schneidvv. ad pr. lusi. d. usufr. Gail. 2. obs. 145. n. 13. Ari. Pinell. d. loc. n. 20. Treutl. d. loc. lit. c. Grassere. disp. d. servit. person. th. 49.* idque duplici ex ratione: 1. propter reverentiam paternam. *l. pen. ff. d. obs. parent. patron. praest.* 2. propter praesumptionem quam lex habet de patre erga liberos. *l. si plures. 3. §. si parens. 1. ff. d. ad m. tut. l. amicissimos. 36. in pr. ff. d. excusat. l. nec in ea. 22. §. fin. ff. ad L. Jul. d. adult. & pluribus probat Tiraq. in l. si unquam. in pr. n. 25. & quod in simili notat. Jason. in l. nemo potest. 2. lect. n. 68. ff. d. leg. 1.*

(c) per

(c) per l. 1. §. si ad fiscum. 18. ff. ut legat. seu fideic. nona.
carv. l. nisi si duo 3. §. item sciendum. 5. ff. si cui plus quam per leg.
Falc. quia fiscus semper idoneus successor, & solvendo
intelligitur. Gothofr. in not. ad marg. ad d. l. 1. d. §. 18. lit. L. l. si
maritus. 2. §. 1. ff. d. fund. dot.

THESES. XII.

Præstita igitur cautione, fructus quicunq;
ex re fructuaria percipi possunt, eosq; sive civiles,
sive naturales, sive industriales, lucratur.

l. usufructu 7. l. item si fundo. 9. l. si cuius. 13. §. inde. 5. l. arbores.
59. l. usufructu. 62. ff. d. usufr. Pac. in suis disp. d. usufr. th. 20.
Gædd. disp. d. usufr. th. 8. Grassicc. disp. de servit. person. th. 30.
unde si gregis usufructus sit legatus, & foetus, sicut lac,
& pilus, & lana, statim pleno jure usufructuarii fit. §. in
pecudum. 37. Inst. d. rer. divis. l. equis. 8. l. in pecudum. 28. ff.
d. usufr. l. vetus fuit. 68. §. foetus. 1. ff. d. t. d. usufr. Tenetur
tamen vicissim usufructuarius in locum demortuæ pe-
cudis aliam submittere. §. sed si gregis. 38. Inst. d. t. d. l. ve-
tus fuit. 68. §. planè. 2. cum l. seq. Quia usufructus est jus
alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia. pr.
Inst. d. usufr. §. l. 1. ff. eod. 2. quia usufructuarius uti de-
bet re aliena tanquam bonus paterfam. d. §. sed si gregis.
38. l. sed cum fructuarius. 65. in pr. ff. d. t. d. usufr. l. damni in-
fecti. 18. §. ei cuius. 2. ff. d. dam. infecti. Submissæ verò in lo-
cum demortuarum non usufructuarii, sed domini pro-
prietatis sunt, & pleno jure ad eum spectant. l. vel. inuti-
lium. 69. ff. d. t. d. usufr. inque usufructu esse desinunt. l.
deducta. 58. §. hereditatem. ff. ad senatuscons. Trebell. Ædium
autem usum fructum constitutum habens, sartas, rectas

cas servare debet. sin in totum corruant, non ipse, sed
heres tenetur eas rursus ædificare. quia usufructuario
exiguos saltem sumptus pro quæstu facere convenit. *l.*
usufructu. 7. § quoniam. 2. ff. d. usufr. l. cum ad quem. C. eod.
sic deniq; fundi v. g. agri usufructuarius, cogitur cum
diligenter colere, *l. item si fundi. 9. in pr. ff. d. t.* Ne desertâ
culturâ aut in tempestivâ agrum reddat deteriore. *l. si*
merces. 25. §. conductor. 3. 4. ff. locat; Sed quid de immaturis
fructibus sentis, numquid & illos decerpere potest usu-
fructuarius? Quamvis glossa in *l. absente. 48. §. sylvam ca-*
duam. ff. d. usufr. & salycet. in l. 3. C. eod. distinctionem ad-
hibeant, ut si ex immaturis plus commodi sentiat,
quàm ex maturis, liceat usufructuario deicere fructus
illos, non è contrario, si minus emolumentum consecu-
turus inde sit. Malim tamen dissentire, propterea, quod
nullo textu reperiat hoc prohibitum. *arg. l. sancimus.*
270 C. d. testam. & facit egregiè in nostram sententiam
textus in l. pen. ff. d. usufr. leg. Huc pertinet & illud utrum
vasallus qui fundum cum sylva in feudum habet, arbo-
res magnas possit ex ea cadere? Afirmat *Alciatus in l.*
sylva. 30. in pr. ff. d. verb. sign. Excipe, nisi sint fructiferae;
aut jus venandi, quod domino feudi debetur in sylvis,
cæsæ reddant deterius. *vid. costal. in l. 7. §. si fundum. ff. sol.*
matrim.

THESIS. XIII.

Nec refert an ab ipso, an alio ejus nomine
fructus percipiantur. Unde rectè fructuum per-
ceptionem alteri locare, vendere, oppignorare, &
alienare potest.

l. ar.

*l. arboribus. 12. §. usufructuarius. 2. l. non utitur. 38. cum
ll. seqq. ff. d. usufr. l. necessario. 8. §. fin. ff. d. peric. & com. rei
vend. §. 1. Inst. d. usu & hab. l. in venditionem. 8. in pr. ff. d.
reb. auth. jud. poss. Et hæc alienatio tamdiu durat, quam-
diu vivit ipse usufructuarius, & eo mortuo, ea etiam ex-
tinguitur. arg. d. l. necessario. §. fin. ff. d. 1. Jus autem suum
minimè ita in alium transferre, ipsi concessum; quia est
personale quid, quod juris ratio in alium transferri, non
permittit. l. si usufructus. 66. ff. d. jur. dot. ubi costat. §. 1.
Inst. d. usu & habit. Goedd. disp. d. usufr. th. 10. Ari. Pinell. in
l. 1. part. 3. n. 39. Cum seq. C. d. bon. mat. gl. in d. l. si usufru-
ctus. 66. lit. N. & P. alias facile contingeret, ut nunquam
ad dominum proprietatis usufructus reverteretur,
quod est contra l. omnium. 3. §. ne tamen. 2. ff. d. usufr. &
§. constituitur. 2. Inst. eod.*

THESIS. XIV.

Finitur usufructus sex præsertim modis: 1. Morte naturali usufructuarii. (a) 2. Morte civili, Maximâ scilicet & Mediâ capitis diminutione. (b) 3. Abusu per modum. (c) 4. tempore, vel conditione impleta. (d) 5. Cessione. (e) & 6. deniq; mutatione, seu interitu totius rei. (f).

(a) *l. sicut in annos. 3. §. fin. ff. quib. mod. usufr. am. l. corruptionem. 16. l. si patri. 3. C. d. usufr. l. in singulos. 8. ff. d. an. leg. l. si quis usumfructum. 29. ff. d. usufr. leg. §. finitur. 3. Inst. d. usufr. & est ratio, quia usufructus est servitus personalis. l. 1. ff. d. servit. l. rectè dicimus. 25. ff. d. verb. sign. & l. si quis. 32. ff. d. usufr. Personæ adhærens, quâ extinctâ,*

talis quoque servitus simul perit. *d. l. si patri. 3.* & personalia semper cum personâ intercunt. *§. sed & quod. 6. vers. planè. Inst. d. Jur. nat. Gent. & civ. l. privilegia. 169. ff. d. R. J. l. 1. in pr. ff. d. const. princ. nec ad heredes extendi queunt, d. l. si patri.* Nisi expressè legator testatus sit cum ad heredes transire debere, quo casu non ad omnes, sed solummodo ad unum extenditur. *per l. antiquitas. 14. C. d. usufr. Ne planè inutilis sit proprietatis. §. 3. Inst. eod. Gomez. 2. var. resol. c. 15. n. 18. Myns. in d. §. fruitur. n. 2. Schneidvv. eod. n. 3. Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 14. lit. a. Grasssec. disp. d. servit. pers. th. 43.*

(b) *l. corruptionem. 16. C. d. usufr. §. finitur. Inst. eod. l. 1. in pr. ff. quib. mod. usufr. am. l. in singulos. 8. ff. d. an. leg. l. idem. 6. §. fin. ff. d. usufr. accresc. & ibi gl. lit. V.* Non autem minimâ, ut olim. quia correctum est per constitutionem Justiniani. *d. l. 16.* Nam cum emancipationum solemnitates sint abrogatæ, meritò quoque simul talis diminutio in desuetudinem abiit. ut refert *Vvesemb. in parat. ff. quib. mod. usufr. am. Hottom. in suo com. ad Inst. d. usufr. Treutl. d. loc. lit. B. Hedem. disp. d. servit. person. th. 46. Grasssec. d. loc. th. 51.*

(c) *d. §. finitur.* usufructuario siquidem non concessum est rem perdere, sed uti frui boni viri arbitratu, & tanquam bonus paterfam. *l. sed si. 38. Inst. d. rer. divis. l. sed cum. 95. in pr. ff. d. usufr. l. damni infecti. 18. §. ei cuius. 2. ff. d. dam. inf. Hottom. d. loc.*

(d) usufructus namq; sub conditione, & ad certum tempus (puta ad decennium) legatus, eo elapso, extinguitur. *l. 1. ff. quand. dies legat. usufr. ced. l. & puto. 16. §. 1. ff. fam. ercisc.* Decedente tamen usufructuario nondum adimpleto tempore, ad heredes ejus transmittendus. *l. si sub conditione. 16. ff. quib. mod. usufr. am. & d. l.*

ambiguitatem. 12. & arg. l. liberto. 21. §. fin. ff. d. an. legat. l. d. filia. 62. §. 1. ff. ad Senatuscons. Trebell.

(e) domino proprietatis ab usufructuario facta, d. §. finitur. hoc est, si vivente usufructuario per cessionem ejus ususfructus consolidetur. Extraneo, id est, ei, qui proprietatem non habet, concedere nequit, & licet facta sit nihil tamen ad eum transit. *l. si usufructus: 66. ff. d. jur. dot. VVesemb. in parat. ff. quib. mod. usufr. am. n. 5.*

(f) d. §. finitur. *l. repeti potest. 5. §. fin. l. quid autem. 10. §. agri. 2. & §. non tamen. 4. l. si ager. 23. ff. quib. mod. usufr. am. l. corruptionem. 16. §. 1. C. d. usufr. quia est jus in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est. pr. Inst. d. 1. & l. est enim 2. ff. eod. per regulam vulgatam, destructa principali causa, corruunt & accessoria. l. nihil dolo. 129. §. 1. l. cum. principalis. 178. ff. d. R. J. c. accessorium. 42. d. R. J. in 6. Treutl. d. loc. Grassicc. d. loc. th. 53. Hedem. disp. d. servit. person. th. 48.*

THESIS. XV. & ultima.

Ususfructus Reipublicæ relictus, centum annorum spacio includitur.

l. si usufructus. 8. ff. d. usufr. leg. l. an usufructus. 56. ff. d. usufr. Nam cum Respublica in perpetuum vivere præsumatur, & ne omnino inutilis sit proprietas, statutum est hoc in casu finiri vitâ hominis longissima. *dd. ll. Treutl. d. loc. th. pen. lit. a. Borcholt. in tract. d. feud. c. 9. n. 5. 6. 7. Grassicc. d. disp. th. 48. Vult. in suo com. ad Inst. d. §. finitur. n. 7. idem quoque affirmandum de Ecclesia. l. ut inter. 23. C. d. S. S. eccles. Secus est in annuo legato Reipublicæ, vel Ecclesiæ, quod in perpetuum Reipubl. præstandum*

dum est. l. annuam pecuniam. 6. l. annua. 20. in fin. l. pen. ff.
d. an. leg. Treutl. d. loc. th. pen. lit. B. covar. 3. var. resol.
9. num. 10.



Ad Dn. Respondentem.

Quem juvat assiduè versare Volumina Juris,
Istius haud ullum poenituisse potest.
En Patrem; Themis hunc quos ad non vexit honores!
Hi tibi ne desint, æmulus esto Patris.

*W*ilhelmus Schmuck D.

F I N I S.



X2615935

Von





B.I.G.

Farbkarte #13

M. A.
JURIDICA

162314

~~18~~

ACTU,

20

Facultatis Juridicae

iduo

SCHMUCCII,

Pandect. publ.

oni subjiicit

FRANCISCI
ROMANUS.

n. Auditorio Jcto-
colitis.



I Æ,
nsonius Danus.

C, XXIII.

~~18~~

1/2

